

Wd  
856





4.





A. 70, 16.



D. M.

MEMORIAM  
EMORTUALIS DIEI

QVO

*Serenissimus Princeps ac Dominus,*

**DN. ERNESTUS,**

Dux Saxoniae, Juliae, Cliviae ac Montium,  
Landgravius Thuringiae, Marchio Misniae, Prin-  
ceps Hennebergae, Comes Marcae & Ravensburgi,  
Dynasta Ravensteinii,

*Stator Scholarum quondam maximus,*

**FRIDENSTEINII,**

**XXVI. Martii A. ~~elo~~ ~~lbc~~ LXXV.**

*soluta Senectute corpore placide obiit,*

*In Schola Altenburgensi  
pie recolendam*

DISSERTATIONE

De

LOCIS SEPULCHRALIBUS SER. FAMILIAE WI-  
tikindae ab excessu Ottonis Divitis  
indicit

M. PAULUS MARTINUS SAGITTARIUS, Rector.

---

Typis Richterianis 1679.







Vod diu mente agitavi,  
nunc tandem, occasione sic feren-  
te, expediam, ea tamen lege, ut primis tantum  
lineis, pictorum more, ductis Syngramma ex-  
hibeam, secuturo tempore, si Deus annuet, me-  
lius expoliendum. Tota res omnium optimè,  
meo quidem iudicio, tractabitur, si locos sepul-

chrales Seren. Familiz Witikindez juxta seriem Alphabeticam re-  
censuero. Primum in iis locum ALTENBURGUM teneat, quod  
in templis *Aulico & Discalceatorum* multa ostendit Principum sepul-  
chra. Illud D. Georgio à *Vilhelmo II. Divite* consecratum in choro  
asservat I. ipsum Fundatorem *Weidæ A. 1425* sexta ante Palmarum  
diem, ut *Historia Erphesfordiensis de Landgraviis Thuringiz c. 161.*  
statuit, aut ipsa Dominica in Palmis, placidâ morte extinctam. II.  
Fratrem *Wilhelmi Fridericum Bellicosum*, primum ex *Misniæ Mar-*  
*chionibus Saxoniz Electorem* hîc 4. Januar. A. 1428. ex tempestati-  
bus mundanis eluctantem & sepultum, quanquam *Chronicon*  
*Neostadiense*, *Appendix Lauterbergii & Wolffg. Krause in Chron.*  
*Geneal. Famil. Sax. Reinhardisborne*, *Abrah. Hermannus in Geneal.*  
*Ducum Sax. p. 16. VVittenberga & Misne* *Paulus Langius, Petrus*  
*Albinus & Fridericus Hortlederus* tumulatum velint, ut in disserta-  
tione de loco sepulchrali *Friderici Bellicosi* pluribus indicavi. III.  
*Margaretham*, *Friderici Placidi, Electoris Conjugem & filiam Erne-*  
*sti, Archiducis Austriæ*, ex arce nostra in cœlestem Dominica Invo-  
cavit 6. Febr. A. 1486. evocatum, & diebus *Mercurii*, qui *Francisco*  
in *Fastis* sacer, nec non *Jovis*, humerum Senatoribus humeros  
capulo subjicientibus. Falli ergo videtur *Vir cœteroquin doctis-*  
*simus Fabritius*, quod *Margaretham Lipsiæ A. 1484. denatam* I. VII.  
*Orig. Sax. f. 791. & Misene conditam* I. de *Electores* f. 22. asserat

IV. 70.



IV. *Johannem VVilhelmum*, Johannis ex Dorothea Maria Anhaltinae filiolum 7. Apr. A. 1595. fato functum & die postero terrae mandatum. V. Anonymum ejusdem filiolum inter materni uteri latebras 11. Apr. A. 1598. suffocatum & 14. ejusd. juxta fratrem repositum. VI. *Magdalenam Sibyllam*, Seren. Friderici & Magdalenae Sibyllae gnata 2. Mart. A. 1673. floris instar solstitialis praetercunte aratro tactam & 19. Mensis currentis *Margarethe*, quae Austrum respicit, adlateratam. Conditorium fornicatum auspiciis optimi Principis *Friderici VVilhelmi* A. 1663. paratum continet VII. Ipsum ejus autorem laudis vitaeque suae terminum 22. Apr. A. 1669. attingentem & conditivo die 14. Julii traditum. VIII. Ejus uxorem *Magdalenam Sibyllam*, Christiani V. Daniae Haeredis viduam & filiam Johannis Georgii I. Ensfiteri 6. Januar. 1668. humanis rebus exemptam & 9. Martii funeratam. Filios item duos IX. *Christianum*, Juventutis Principem mortalibus 5. Jun. A. 1663. subductum ac primum monumento novo 22. Jul. impositum, & X. *Fridericum VVilhelmum III.* quem absoluto brevi vitae penso sidera tanquam suum 14. Apr. A. 1672. non sine ingenti subditorum desiderio, repetere, moestaque patria funere magnifico 17. Jul. extulit. *Aedes Discalceatorum* Scholae nostrae contigua in requietorio Sacrario proximo & A. 1627. in hunc usum formato locum sepulturae dedit XI. *Anna Mariae*, secundae Friderici Wilhelmi I. maritae, filii Philippi Ludovici, Comitis Palatini Rheni, Dornburgi Calendis Febr. A. 1643. vitae finem facienti & 27. Aug. anni insequentis hic deposita. XII. *Johanni Philippo*, Friderici Wilhelmi ex Anna Maria filio natu maximo, qui 1. April. A. 1639. vivere desiit & 5. Febr. anni subsequents tumulum subiit. XIII. Ejus conjugi *Elisabethe*, Augusti, Ducis Sax. Viduae, patre Henrico Julio, Duce Brunovicensi, prognatae, cujus corpus 25. Martii A. 1650. morte resolutum 21. Maji ad la-tus Mariti locabatur. XIV. *Friderico*, Friderici Wilhelmi I. ex altero matrimonio filio natu secundo, qui in cruento conflictu prope Hannoveram globis duobus capite & brachio sinistro trajectus 25. Oct. A. 1625. animam Deo reddidit, servatus Hannoverae ad S. Aegidium usque ad 10. Nov. A. 1628. inde huc delatus 10. Febr. A. 1629. & 12. ej. compositus. XV. *Anna Mariae*, patre Friderico Wilhelmo I. & matre Sophia Wurttembergia editae, cui Dresda vi-

VENZ



vendi finem 15. Dec. A. 1616. attulit, & Altenburgum, quò Dresdæ  
5. Januar. A. 1627. transportata, 21. ej. ivit exequias. XVI. *Doro-*  
*thea*, Alberti III. Saxonix Ducis viduæ, filix Friderici Wilhelmi R.  
ex secundo conjugio, quam Deus ex mortali ad immortalem vitam  
10. Apr. A. 1675. transtulit. Quod caducum in ea, gentilitium &  
Jul. recepit conditorium. XVII. *Sophia Elisabetha*, Friderici Wil-  
helmi II. thori locix, patre Christiano Wilhelmo, Administratore  
Magdeburgensi, genitæ 6. Martii A. 1650. natura, uti necesse erat,  
concedenti & 20. Maji funeri destinatæ. Et XVIII. *Dorothea*, *So-*  
*phia Elisabethæ* jam laudatæ genitrici & Henrici Julii, Ducis Bru-  
novicensis, filix, cui humani quid Ziegeleræ 1. Sept. A. 1643. acci-  
dit. Manibus illius justa 28. Aug. 1644. sunt soluta.

CELLA vetus ad Muldam Freibergensem ab *Ottone Divite*,  
Marchione Misnix, in honorem S. Mariæ A. 1164. exstructa multis  
sepulchri sedem præbuit; ibi enim requiescunt (1.) hujus Monasterii  
Monachis Ordinis Cisterciensis assignati conditor *Otto*, qui supre-  
mum diem 18. Febr. A. 1189. explevit. II. *Ottonis Uxor* Hedwigis,  
filia Alberti Ursi, Electoris Brandenburgici ex *Sophia Reineccensi*,  
III. *Albertus*, *Ottonis* filius, *Heinrichsdorff* 24. Jun. A. 1195.  
vitæ mimum absolvit. IV. *Sophia*, uxor Alberti, *Friderico*, Duce  
Bohemix, oriunda, maritum 24. Julii secuta. V. *Ditericus*, *Otto-*  
*nis* filius vitam 27. Febr. A. 1222. (*Annales Lauterbergenses* A. 1210)  
posuit. VI. *Jutta* conjux *Diterici*, filia *Hermannii*, *Thuringiæ Land-*  
*gravii* & liberi sex. VII. *Ditericus*. VIII. *Otto*. IX. *Conradus*.  
X. *Jutta*. XI. *Hedvig*. & XII. *Sophia*. XIII. *Heinricus Illustris*,  
*Diterici* filius, *Dresdæ* mortalitatem exiit 15. Febr. A. 1288. (*Albinus*  
*Chron. Misn. tit. 22. f. 293. ponit 25. Febr.*) quo die justa forsitan  
ipsius manibus data. XIV. *Constantia*, filia *Leopoldi*, Ducis Au-  
striæ, à latere mariti *Heinrici III.* 7. Julii A. 1262. (non 1242, ut *Al-*  
*binus l. c.*) avulsa. XV. *Agnes*, *Ottocari*, Regis Bohemix filia, &  
altera *Heinrici III.* uxor, quæ naturæ debitum, 13. Sept. A. 1268, reddi-  
dit. XVI. *Elisabetha Malticii* (non *Milticii*, ut *Reusn. Stemm. Witich.*  
*f. 33.*) *Lichtensteinii* habitantis filia, tertia *Heinrici III.* uxor, mundo  
14. Jan. valedixit. XVII. *Ditericus Pinguis*, *Heinrici III.* ex *Con-*  
*stantia* filius, vitæ cursum 8. Febr. A. 1282, confecit *Suselitii*, quo lo-  
co *Fabrit*, & *Reusnerus* conditum cum voluit. XVIII. *Fridericus*

Tur



*Tutta*, Diterici Pingvis & Helenæ filius, Hirschsteinii A. 1291. mortem invenit. XIX. *Hermannus Procerus*, Heinrici III, ex Elisabetha Malticia filius A. 1304. [non 1238. ut Albin. l. 6.] morte concidit. XX. *Fridericus Parvus*, frater Hermannii, Dresdæ 25. Apr. A. 1316. spiritum effudit. XXI. *Heinricus Exul*, filius Alberti & Margarethæ Svecvicæ A. 1289. (1299. Albinus & Faust. in Geneal. p. 131.) de vita exiit. XXII. *Hedviggis*, Heinrici Exulis compar, Heinrico, Silesiæ Duce, procreata, & filius XXIII. *Fridericus*, XXIV. *Agnes*, Carinthiæ Ducissa, uxor Friderici Admorsii, quæ Fabritio l. 6. Orig. Sax. f. 639. & Reusnero f. 36. hic cubare dicitur, fato defuncta A. 1318. quod tamen veritati Historiæ non consonum; Fridericus enim Gravis, Friderici Admorsii ex altera uxore Elisabetha Arnshaugia filius A. 1310. vitalem auram hausit. XXV. *Fridericus Claudus*, quem ex Agnete Fridericus Admorsus suscepit, in oppugnatione arcis Zvencæ sagitta confixus Anno 1315. occubuit, Cellæ humatus 13. Jan. XXVI. *Fridericus Gravis*, viva Friderici Admorsii & Elisabethæ Arnshaugiæ imago 2. Febr. Anno 1349. de vitæ præsidio decessit. XXVII. *Mechtildis*, Friderici Gravis uxor, Ludovici IV, Imper. filia 2. Jul. A. 1346. fato succubuit. XXVIII. Hujus Filius *Fridericus Strenuus*, Altenburgi 26. Maji A. 1380. humana relinqvens cum uxore XXIX. *Catharina*, Heinrici XII, Comitis Hennebergici, filia 15. Julii A. 1397. demortua; XXX. filio *Friderico*, cui Parca vitæ stamen teneris in annis intercudit & XXXI. filia *Catharina*, quam infantem adhuc mors occupavit.

CITZÆ Conditorium Principum in templo nitidissimo arcis Moritzburgi ad Elystrum reperitur, quo Sereniss. *Mauritius* conjugem suam alteram *Dorotheam Mariam*, Wilhelmo IV, Duce Saxo-Vinariensi genitam & II. Jun. 1675. leto datam reposuit, ut & liberos I. *Johannem Georgium* 5. Sept. A. 1666. vita orbatum. II. *Eleonoram Magdalenam*, 26. Febr. A. 1661. è vivis sublatam. III. *Marianam Sophiam*, quam in cunis adhuc cubantem 31. Maji A. 1671. vita destituit, & IV. *Magdalenam Sibyllam*, 20. Aug. 1671. in complexu Matris Optimæ mortuam & 2. Oct. exequiis decoratam.

COBURGO, Franconiæ Montanæ oppido, vendicamus I. *Johannem Ernestum I.* Joh. Constantis, Electoris Saxonæ ex Margaretha filium, cui dies octavus Febr. A. 1553. fati lineam consummavit.

A 3

II. *Johann-*



II. *Johannem Fridericum II.* Johannis Friderici Electoris filium Stiræ (non Neostadii) in Austria 9. Maji A. 1595, ex captivitate in æternam libertatem vocatum, cujus exa ædes S. Ægidii Stiræ d. 13. ej. recepit, ossa vero Coburgum. III. Conjugem Joh. Friderici II. *Elisabetham* Palatinam Neostadii, Austriæ oppido, 8 Febr. 1594. vinculis humanis solutam & 30. Dec. humo creditam. IV. *Johannem Casimirum*, jam laudati Joh. Friderici II. ex Elisabetha filium, qui beatorum consortio 16. Julii 1633. adscriptus est. Atque horum exuvias templum oppidanum S. Mauritii possidet; Quæ autem in Castro videtur Ædes, *Anne*, Johannis Casimiri Conjugis primæ, & Augusti, Electoris Saxonie filie, ossa dicitur asservare.

**CRUCIBURGUM**, Thuringiæ oppidulum, admisit *Elisabetham* Johannis, Comitis Mansfeldensis, filiam & maritam Johannis Ernesti II. quæ puerperii laboribus fatigata 18. Apr. A. 1596. ab oculis mariti recessit, sepulchrum una cum filiolo *Johanne Friderico* 8. Apr. prima post partum hora denato, in templo ad forum sito accipiens, *Reusnerus* f. 45. *Ilmenam* statuit.

**DRESDÆ** elegantissimum *Sophie* templum videtur & in eo exuvie I. *Johannis V. Wilhelmi*, Friderici Wilhelmi I. Pro-Electoris ex Anna Maria filii, qui Brigæ Silesiorum 2. Dec. A. 1632. mortem optulit & ad sepulchrum 18. Martii A. 1633. contendit. II. *Johannis Georgii*, patre Christiano & matre Christiana Holsata nati, qui mortis falce 3. Jan. A. 1654. est succisus. III. *Anonymi* eundem cum Joh. Georgio patrem agnoscentis & inter fingentis adhuc nature manus 1. Febr. A. 1656. intereidentis. IV. *Sophie Hedvige*, filie Philippi, Ducis Holsato-Glucksburgensis, Mauritio junctæ, cui difficilis parienti labor vires vitamque ipsam 27. Sept. A. 1652. ademit; Filiorum V. *Johannis Philippi*, & VI. *Mauritii*, quorum ille 24. Mart. A. 1652. teneram animam efflavit; hic verò 10. Maji A. 1653. & 24. ej. humo coopertus.

**ERFURTI**, Thuringiæ ocelli, in B. Virginis æde *Albertus I.* Heinrici Illustris filius A. 1314. demortuus voluit quiescere.

**FREIBERGAM** splendidissimum Ducum Saxonie Mausoleum in templo Basilico continere, hominem, qui his in terris ignoret, arbitror neminem. Hic namque jacent I. *Heinricum Pium*, ex sanguine Alberti animosi 18. (alii 19.) Augusti A. 1541. vitam cum morte  
commu-



commutans II. Conjux *Catharina*, magni Ducis megapolitani,  
 filia, quæ octuagenario major Torgaviæ 6. Jun. A. 1561. inter vivos  
 esse desiit. III. *Mauritius*, Heinrici filius, Elector, quem hostilis  
 globus in acerrimo prope Sivershusam prælio 11. Julii A. 1553. pro-  
 stravit. Supremum pietatis officium apparatu funeris magnifico  
 Misnia 23. Julii celebravit, visceribus Sivershusæ conditis. IV. Filio-  
 lus ex Agnete Hassiæa, *Albertus*, qui exiguo vitæ curriculo Dresdæ  
 12. Apr. 1547. confecto, 26. dicti mensis avitis cineribus immixtus  
 creditur. V. *Sidonia*, mauritii soror, in connubio Erici, Ducis Bru-  
 novicensis, Weissenfelsæ 4. Jan. 1575. diem obiit, sepulturæ honore  
 20. ejus affecta. VI. *Augustus*, Elector Saxonie, Heinrici filius,  
 Dresdæ 11. Febr. A. 1586. mundi Theatro excessit, ad majores 15. Mart.  
 collectus. VII. Uxor *Anna*, quæ Christianum III. Daniæ Regem  
 patrem habens maritum præcessit 1. Oct. A. 1585. Dresdæ, inde por-  
 tum corporis Freibergæ 2. Nov. nacta est, ubi amissa anima mollem  
 somnum capiat. Filii octo: VIII. *Johannes Henricus* 12. Novemb.  
 A. 1550. cœlitibus adscriptus & sepulchro 16. ej. donatus. IX. *Joachi-  
 mus* 12. Nov. A. 1557. morte raptus, cui tumulus d. 29. ej. parabatur.  
 X. *Magnus* 6. Nov. A. 1558. in communem locum abiit, sepulchro  
 10. ej. inclusus. XI. *Hector*, qui 4. Apr. A. 1560. à felicium animarum  
 cœtu exceptus 6. ej. huc est transmissus. XII. *Alexander*, Admini-  
 strator Præsulatus martisburgensis, spiritu 15. Octobr. A. 1566. (alii  
 7. Octobr. 1565.) laxato reliquis fratribus 22. ej. adlateratus est.  
 XIII. *Augustus*, cui vitæ exodus 12. Febr. A. 1570. contigit & introitus  
 in sepulchrum 14. ej. XIV. *Adolphus*, quem natura ab oculis homi-  
 num 12. Mart. A. 1572. amolita est, terræque 14. ej. indidit. XV. *Fri-  
 dericus* 24. Jan. A. 1576. Annæburgi vita defunctus, & cæteris fratri-  
 bus 28. ej. adjectus. Filie tres XVI. *Eleonora*, 24. Apr. A. 1553. in fa-  
 ta concessit & in tumulum 27. ej. XVII. *Emilia* 2. Julii A. 1565. ad  
 vitæ exitum vocata. XVIII. *Maria*, 8. Jan. [alii 6. Jan.] 1566. spi-  
 ritum fato dedit. XIX. *Christianus I.* Septemvir Saxonie, Augusti  
 filius, 25. Sept. A. 1591. vitæ munera reliquit. Exequias ejus Frei-  
 bergæ 16. Oct. profecuta est. XX. *Sophia*, Johannis Georgii, Electo-  
 ris Brandenburgensis filia, in toro Christiani I. quæ perennem salu-  
 tem beata morte 7. Dec. A. 1621. impetravit & marito 28. Jan. anni  
 subsequents unita perhibetur. XXI. *Anna Sabina*, Sophia matre  
 progna-



prognata 24. Mart. a. 1586. discessit, cujus ossa 26. ej. monumento a-  
 vito immissa. XXII. *Elisabetha* (non Sophia, ut Schmidt in Ann.  
 Zwiccar. p. 303.) eadem matre prodiens 4. Mart. (4. Maji Moll. in  
 An. Freib. p. 362.) a. 1589. brevem vitæ fabulam peregit & 7. ej. repe-  
 rit requiem. XXIII. *Christianus II.* Romani Imperii Ensiser, patre  
 cognomine gaudens, 23. Jun. a. 1611. morte repentina interceptus,  
 Exequias Freiberga 6. Aug. curavit. XXIV. Hujus conjux *Hedvigi-*  
*gis*, Friderici II. Daniæ Regis filia, quæ Lichtenburgi 26. Nov. 1641.  
 ad fatale decretum abiens 29. Maji a. 1642. ad maritum congrega-  
 batur. XXV. *Augustus*, Christiani II. frater, Administrator Epi-  
 scopatus Naumburgensis, qui vitæ humanæ proscenio Dresdæ 26.  
 Dec. excedere visus Freibergæ resurrectionem expectat, quo 6. Febr.  
 a. 1616. advenit. XXVI. *Dorothea*, Augusti uterina, Abbatissa  
 Quedlinburgensis, Dresdæ 17. Nov. a. 1617. in divas transscripta. E-  
 xequiarum officium 9. Dec. ipsi est solutum. XXVII. *Johannes Geor-*  
*gius I.* Septemvir Saxoniae, Christiani I. filius, qui ex hac vita ad gaudia  
 caelestia 8. Oct. a. 1656. evolavit. Humanitatis negotium Filius O-  
 ptimus *Johannes Georgius II.* 4. Febr. a. 1657. gessit. XXVIII. Con-  
 jux illius prima *Sibylla Elisabetha*, Friderici. nucis wurtembergici  
 filia, cui lucis hujus usura 20. Jan. a. 1606 crepta. Funeris curam  
 25. Febr. habuit maritus. XXIX. Altera *Magdalena Sibylla*, Alberti  
 Friderici, Ducis Borussiae filia, quam anima 12. Febr. a. 1658. defecit.  
 In officium exequiarum Filii Filiaeque 12. Apr. successerunt. Filio-  
 li tres xxx. Anonymus in visceribus matris 18. Julii a. 1608. extin-  
 ctus, & ad Mausoleum avitum 25. ej. deductus. xxxi. *Christianus*  
*Albertus* 9. Aug. a. 1612. à Deo manumissus, Freibergam 31. dicti  
 mensis portatus. xxxii. *Heinricus* 15. Aug. a. 1622. vix natus repente  
 occidit. xxxiii. *Sibylla Maria*, Ser. Johannis Georgii II. Saxoniae Ele-  
 ctoris, ex Magdalena Sibylla Culnbacensi filiola, quæ in Libitinae ra-  
 tionem 27. Febr. a. 1643. veniens Majorum funeribus 6. Apr. est an-  
 numerata.

GOTHA, antiqua Gothorum sedes, inque eà templum oppidae  
 num *S. Margarethe* honori dicatum sepulturae sedem impertita est  
 1. Ser. *Ernesto Pio*, Johannis & Dorotheæ Mariæ Anhaltinae filio, qui  
 26. Martii a. 1675. ad illas præmissus est sedes, in quibus beati avo  
 sempiterno fruuntur. Ultimum officium debitæ pietatis obsequio



26. Junii implevimus. Ejus Filiis quatuor ex pientissima Elisabetha Sophia II. *Johanni Ernesto*, Juventutis Aquilæ, cui morbillitantam vim intulerunt, ut animam ultimo a. 1657. die sede sua ejecerint. Funus satis amplum ei faciendum curarunt Parentes 14. Jan. a. 1658. III. *Christiano*, qui, velut solstitialis herba, ostentatus simul est raptus que, quod factum 23. Febr. a. 1642., IV *Johanni Philippo I.* 19. Maji vitâ functo & 26. ej. tumultato. V. *Johanni Philippo II.* quem fati iniquitas 13. Mart. a. 1662. abstulit. Filiabus numero totidem VI. *Johanne* 7. Dec. a. 1657. vi variolarum prostratæ & 17. ej. terræ mandata. VII. *Sophie* eodem morbi genere 14. Dec. a. 1657. oppressæ & sorori 18. ej. adlateratæ, VIII. *Johanne Elisabethe* vivorum numero 18. Dec. a. 1660. exemptæ. IX. *Sophie Elisabethe* 23. Maji a. 1663. obdormiscenti Nepoti X. *Johanni Ernesto*, Seren. Bernhardi & Mariæ Hedwigis Darmstatinæ filiolo, 8. Febr. a. 1675. exanimato, Et Nepti XI. *Mariæ Elisabethe* idem cum fraterculo Johanne Ernesto fatum a. 1676. expertæ.

HALASaxonum cor *Ernesti*, Archi-Episcopi Magdeburgensis, patre *Ernesto*, Saxonix Electore, orti in æde aulica Moritzburgensi complectitur. Carnis autem viam 1. Aug. a. 1513. ingressus est. Ædes Basilica ternarium Filiarum, quas Augusto, Germanix Primate & Administratori Magdeburgensi Anna Maria peperit, 16. Jun. a. 1663. recepit, *Catharinam*, scilicet 21. Apr. *Elisabetham* 18. Maji & *Dorotheam* 12. ej. placida morte, ut molli sopore, solutas.

De JENA pauca quoque veniunt memoranda; Hic enim in templo oppidano S. Michaëlis conditorium *Bernhardi*, quem Wilhelmus IV. ex Eleonora Dorothea Anhaltina suscepit. Mortem & ejus facialem febriculam 3. Maji anni superioris superare cœpit, 20. Junii quieti datus. Juxta eum cubant filii ex Maria Tremollia *Wilhelmus* & *Bernhardus*, in quibus ille 21. Junii a. 1666. hic 26. Apr. a. 1668. ad plures abierunt: & filia Anonyma, quæ 7. Apr. a. 1666. in lucem hanc edita, lucem tamen videre non potuit.

JENA relicta ISENACUM ingredior continens *Friderici Admorsæ* 25. Apr. a. 1325. (non 1326.) terminum bellis & laboribus suis ponentis, cineres in templi suburbani S. Catharinæ Sacello D. Johanni consecrato. In æde fratrum Prædicatorum dormit Conjux *Elisabetha Arnshaugiana* a. 1359. vita privata cum *filiola cognomine*. Hic quo-

B

que



que sibi sunt *Johannes Ernestus* II. *Johannis Friderici* II. ex *Elisabetha* Palatina filius, qui desideratam animæ suæ analysin ex tristi corporis ergastulo 23. Oct. a. 1638. consecutus est: *Albertus*, *Johannis & Dorotheæ Mariæ* filius è medio Fratrum ad Mediatorem 20. Dec. a. 1644. sublatus, cui exequiarum solennitas 7. Martii anni insequentis celebrata: *Adolphus Wilhelmus*, *Wilhelmo* IV. genitus, è miserima ærumnarum valle ad cœlestem civitatem a. 1668. transit una cum filiis *Carolo Augusto*, *Friderico Wilhelmo*, *Ernesto Augusto*, *Erdmanno & Wilhelmo Augusto* posthumo, quem fatalis hora a. 1671. supervenit.

Quoad LIPSIAM, Musis & Mercurio propitiam, & hæc funera Principum suo recepit sinu; Nam ædes *Paulina Dicemannum*, *Alberti* ex *Margaretha Svevica* filium 26. Dec. (alii 25.) a. 1307. [non 1280] in templo Thomano à Sicario trucidatum condidit, ut & *Elisabetham*, *Alberti* 3. *Austriæ Archi-Ducis* filiam, *Ernesti*, *Saxonie Electoris* conjugem, quæ die Veneris post Dominicam Esto mihi a. 1484. (non 1483. ut *Langius*) ex hoc turbulento vitæ sale in perpetuæ quietis portum navigavit.

MAGDEBURGI sepeliri voluerunt alii. Episcopi *Magdeburgenses Ludovicus & Ernestus*: ille *Friderici Gravis* filius 17. Febr. a. 1382. (quidam 1381) suum obiit fatum: & hic *Ernesti*, *Electoris* proles 1. (alii 3.) Aug. a. 1513. Deprehendes autem amborum ossa in æde *S. Mariæ*.

In MARTISBURGENSE dormitorium, quod ædes *Dominica* exhibet, *Seren, Christianus*, *Episcopatus Martisburgensis Administrator* reposit par liberorum *Mauritium & Magdalenam Sophiam*. Ille 21. Apr. 1664. hospitio egressus est: hæc a. 1673.

Ex veteri Cella Principū conditoriū *MISENAM* translatum est, ubi tumulus in æde *Dominica* paratus I. *Friderico*, *Friderici Gravis* filio, qui albatu *Rochlitii* 5. Dec. a. 1329. de vita exiit. II. *Sigismundo*, *Episcopo Martisburgensi*, qui filius *Friderici Gravis Misenæ* a. 1357. vitæ telam pertexuit. III. *Wilhelmo* I. *Coclitis Sigismundi* jam nominati fratri, cui supremum fati tempus die *Cinerum* a. 1407. illapsum. Funeris honore 10. Febr. dicitur maectatus. IV. Conjugi *Elisabethæ*, *Jodoco*, *Marchioni Moraviensi* suam debenti originem, quam summus vitæ arbiter ad finem mortalitatis 20. Nov. a. 1400. deduxit. V. *Anne & VI.*



*Clara*, Friderici Gravis filiabus. Capella Principum Basilicæ occa-  
 sum versus adhærens & fundata a Friderico Placido complectitur  
 VII. *Catharinam*, Friderici Bellicosi thori sociam, patre Heinrico,  
 Duce Brunovicensi natam, quæ constitutum a Deo & natura cursum  
 Grimmæ 18. Dec. a. 1442. absolvit. Labitur Fabrit, tr. de Elect.  
 Sax, f. 20. quod Altenburgi humatam scribat. VIII. *Heinricum*, ex  
 Catharina natum & a. 1433. denatum. XI. *Sigismundum*, Anti-  
 stitem Herbipolensem, Patre Friderico Bellicoso satum, quem hora  
 fatalis Rochlitii 2. Dec. a. 1457. invast. X. *Fridericum* Placidum,  
 Sigismundi fratrem, qui Lipsiæ 7. Sept. a. 1464. (non 1463) colo-  
 phonem vitæ imposuit. Filios ejus XI. *Heinricum* 22. Julii a. 1435.  
 in mortis necessitatem tractum. XII. *Alexandrum*, a. 1446. vita  
 orbatum. XIII. *Fridericum* 13. Dec. A. 1451. sarcinulam colligen-  
 tem: & Filias, XIV. *Aureliam* in pueritia mortuam. XV. *Ami-  
 liam*, Ludovici (non Georgii) Divitis, Ducis Bavarix, conjugem,  
 quæ non tam finiit mortalitatem, quam ejus leges Rochlitii 18. Nov.  
 a. 1502. implevit. XVI. *Ernestum*, Electorem, Friderici itidem fi-  
 lium, qui Colditii (non Rochlitii) corpus, ceu dormiturus vestem, 26.  
 Aug. a. 1486 exiit; optimam Matrem Margaretham secutus. XVII.  
*Wolfgangum*, ejus ex Elisabetha Bavara filium. XVIII. *Albertum*,  
 militibus *Rolandum* salutatum, Ernesti fratrem, quem morbus sol-  
 stitialis Germanix invidit, quod in Monasterio prope Emdam, Fri-  
 siæ urbem die Sabbati post Nativitatis Mariæ a. 1500. accidit. Extis  
 in Cœnobio conditis corpus exanime Misenam vectum est 29. Jan.  
 a. 1501. ut Mich. Bœmus in vita Alberti tradit. Fabritius l. VII. O.  
 S, f. 839. habet 1. Nov. a. 1500. XIX. Ejus Uxorem *Zedenam*, Ge-  
 orgii Podiebradii, Regis Bohemix, filiam ad beata Paradisi viridaria  
 Taranti 7. Febr. a. 1510. evocatam. Filios XX. *Johannem I.* XXI.  
*Ludovicum*. XXII. *Johannem II.* XXIII. *Fridericum*, Magistrum  
 Ordinis Teutonici in Borussia & Coadjutorem Magdeburgensem,  
 cui mortalem conditionem Rochlitii 20. Dec. a. 1510. evitare non  
 licuit. XXIV. *Georgium Divitem* 17. Apr. a. 1539. mortis iter cal-  
 cantem, novoque Sacello illatum. XXV. *Barbaram*, Georgii Uxo-  
 rem, Casimiro, Rege Poloniae, prodeuntem, quæ 17. Jan. a. 1534. suis  
 ultimum vale dixit. Filios quinque XXVI. *Christophorum I.* Lipsiæ 5.  
 Sept. a. 1497. vitæ lampadem aliis tradentem. XXVII. *Wolfgangum*,



qvi 12. Jan. a. 1499. in cœlum secedens 21. ej. sepultus. xxviii *Christophorum II.* prima ætate ad æterna citatum. xxix. *Johannem vi.* Jan. a. 1537. fumi instar evanescentem, xxx. *Fridericum 26.* Febr. a. 1539 funestis fratrum vestigiis insistentem. Filias tres **XXXI.** *Annam,* **XXXII.** *Agnetem,* **XXXIII.** *Margaretham,* quæ adhuc impuberes in Libitinæ censum redactæ. **XXXIV.** *Annam,* Alberti & Zedenæ filiam, **XXXV.** *Annam,* Mauritiæ Electoris gnatham, Wilhemi, Principis Aurasionensis, uxorem, quæ beatam analysin Dresdæ 18. Dec. A. 1577. (non 1582.) habuit & 20. ej. sepulturæ honorem.

Progredior ad PORTAM, Monasterium prope Salam, quod custodit ossa *Georgii,* à Friderico Strenuo procreati, cui Coburgi 9. Dec. A. 1401. (non A. 1411.) hora novissima advenit.

Inde me REINHARDI BORNAM confero, quod cubile dedit I. *Balthasari,* Friderici Gravis filio, Wartburgi 18 Dec. A. 1406. mortem læto excipienti animo. II. Ejus filio *Friderico Simplici,* quem *Weisensehæ* 4. maji A. 1440. mors sub pedes conjecit. III. *Anne,* conjugii Friderici & Güntheri, Comitis Schvvarcenburgici filix, quæ vitæ pausam Friburgi 7. Sept. A. 1431. fecit. IV. *Anne,* Alberto II. Imperatore genitæ, primæ *Wilhelmi III.* uxori, quam Deus in perpetuam libertatem Eccardisbergæ A. 1462. asseruit.

SALFELDA quoque ad se me vocat; Nam in templo Johannis sita est *Catbarina,* uxor Johannis Ernesti I. & hoc defuncto Philippi, Comitis Schvvarceburgici, filia Philippi, Ducis Brunsvicensis, lineæ Grubenhagensis, cui dies 24. Febr. A. 1581. suprema illuxit, funere 4. mart. elata. Hic etiam anno elapso 6. Sept. sepulchrum adeptus est *Ernestus Augustus,* Ser. Alberti & Mariæ *Elisabethæ* filiulus, qui 17. Aug. cœlestis Hierosolymæ incola factus.

SUSELITIVM terræ mandasse dicitur *Ditericum Pinguem* & filium *Fridericum Tuttam,* quos tamen Cellæ cubare supra n. 17. & 18. significavi. *Beatricam* vero, Abbatissam Seuselicensem, Friderici Gravis filiam, ibi conditam esse, non refragabor.

TORGAVIÆ tumulus conspicitur *Sophie* (non *Barbaræ,* ut Langio f. 880. audit) primæ Johannis Electoris conjugis, filix magni, Ducis megapolitani, quæ immarcescibilem coronam 12. Jul. A. 1503. divina consecuta benignitate in templo oppidano B. Virginis apprehendit requiem exoptatam.

VINA-



VINARIA Cellæ, Freibergæ & misenæ non cedit, quin potius Principum ibi humatorum numero iis anteferenda. Exhibet enim in templo oppidano S. Petri & Pauli I. *Vilhelmum III.* Friderici Belli-  
 cossi filium, qui 17. Sept. A. 1482. [non 1483.] depositum reddidit, na-  
 ctus locum sepulturæ in *Franciscanorum templo* à se excitato, quo  
 diruto in ædem nominatam cineres ejus ut & duarum *Margaretha-*  
 rum sunt translati. II. *Margaretham*, Ernesti Electoris filiam, Hein-  
 ricæ [non Friderici] Ducis Luneburgensis uxorem, quæ in brachiis  
 Salvatoris 7. Dec. A. 1528. placidè exspiravit. III. *Margaretham*,  
 filiam *Woldemari*, Principis Anhaltini, secundam *Johannis Electro-*  
 ris uxorem, 9. Oct. A. 1521. beato obitu solutam. Hanc *Vitteberge*  
*Reusnerus & Fabritius*, falso tamen, tribuunt. IV. *Johannem*, mar-  
 garethæ jam adductæ filium, & filiam V. *Margaretham*, vitæ stadi-  
 um A. 1535. decurrentem VI. *Johannem Fridericum*, patris Johan-  
 nis in Electoratu successorem, qui cœlestis gaudii felicitatem Vina-  
 riæ 3 Mart. A. 1554. (non 1547. ut *Theodorus Rhay* in altera Noæ  
 arca p. 268.) & tumulum 5. ej. obtinuit. VII. *Sibyllam*, *Johannis 3.*  
*Ducis Juliaci*, *Cliviæ ac montium* filiam, *Johannis Friderici El.* con-  
 jugem, quæ 21. Febr. A. 1554. non tam obiit, quàm abiit. VIII. *Jo-*  
*hannem Ernestum*, filiolum *Johannis Friderici El.* A. 1535. (non 1553.)  
 ut *Reusnerus & Fabritius*, confundentes *Johannem Ernestum*, *Johan-*  
*nis Electoris* filium, *Coburgi* viventem cum hoc *Johannis Friderici*  
 filio) terris renunciantem. IX. *Johannem Fridericum III.* Electoris  
 cognominis filium, cui *Jena* 31. Oct. A. 1565. oculos clausit & Vi-  
 naria tumulum permisit. X. *Agnetem*, *Philippi, Hassiæ Landgravii*,  
 filiam, quæ in conjugio *Mauritii* & tandem *Johannis Friderici II.*  
 4. Nov. A. 1555. divortium vitæ fecit. XI. *Johannem Fridericum IV.*  
*Joh. Friderici II.* ex *Elisabetha Palatina* filium *Vinariæ* 8 Aug. A. 1560.  
 à suis distractum. XII. *Fridericum*, *Johannis Friderici II.* filiolum  
*Eisenbergæ* 3. Aug. A. 1572. (alii 1573.) mortem passum. XIII. *Johan-*  
*nem Vilhelmum*, *Johannis Friderici Electoris* filium 2. Mart. [non  
 24. Febr.] A. 1573. ad triumphalem in cœlis chorum *Vinariæ* dedu-  
 ctum & dormitorio suo 5. ej. commendatum. XIV. Ejus uxorem  
*Dorotheam Susannam*, *Friderici III.* Electoris *Palatini* filiam, quæ ad re-  
 quiem 29. Martii (aliis 29. Maji) A. 1592. pervenit. XV. *Sibyllam Ma-*  
*riam*, *Joh. Wilhelmi* filiam, cui morbus *Altenburgi* 20. Febr. A. 1569.



elicit spiritum. Funeri 25. ej. opera data est. XVI. *Fridericum V Vilhel-*  
*mum* I, Johannis Wilhelmi filium, Electoratus Saxonici Administra-  
torem, qui 7. Julij A. 1602, divina luce & ineffabili gaudio coruscare  
cepit. Exequiæ 19. Julij sunt peractæ. XVII. uxorem illius primam  
*Sophiam*, Christophori, Ducis Wurtembergiæ, filiam, quæ Fachæ in  
Hassia 11. Jul. 1590. æternam adiit hæreditatem exequiis 28. ej. hone-  
stata. Filios tres XVIII. *Johannem V Vilhelmum*, 23. Jan. A. 1587, acer-  
bo funere sublatum. XIX. *Fridericum* 20. Jun. ejusdem anni æter-  
nitatis candidatum in falciis pronunciatum. XX. *Anonymum* in  
utero matris cum ipsa extinctum 21. Julij A. 1590. XXI. Filiam *Doro-*  
*theam Mariam*, quæ 28. Aug. anno 1586. morti in rapinam cessit.  
XXII. *Johannem*, Johanne Wilhelmo oriundum, qui animam Deo  
31. Oct. 605. & mortalitatis reliquias terræ matri 20. Nov. reliquit.  
XXIII. Uxorem *Dorotheam Mariam*, filiam Joachimi Ernesti, Princi-  
pis Anhaltini, quæ voti de beata analysi 13. Julij A. 1617. compos fa-  
cta. Filios XXIV. *Johannem* exiguum vitæ spatium 6. Oct. A. 1604.  
consummantem, & 11. ej. sepultum. XXV. *Fridericum V Vilhel-*  
*mum*, 6. Aug. A. 1619. in valle S. Georgii feralem tabulam imple-  
tem. XXVI. *Fridericum*, qui in difficili pugna Fleruensi cum Cor-  
duba, Duce Hispaniæ, quinque vulneribus saucius per medios ho-  
stes ad culmina cœli 19. Aug. A. 1622. transit. Intestina Mausoleum  
Wilhelmi Nassovii Bredæ & corpus Vinaria 8. Nov. receperunt.  
XXVII. *Johannem Ernestum*, qui in vico S. Martini superioris Hunga-  
riæ 4. Dec. A. 1626. stationem vitæ militiæque deseruit. Extatem-  
plo S. Georgii sunt illata & cadaver in septimum usque mensem asser-  
vatum, usque dum permissu Ferdinandi II. Imperatoris Vinariam  
vectum terræ 18. Julij A. 1627. committeretur. XXIX. *Johannem*  
*Fridericum* 7. Oct. A. 1628. morti obviam factum. XXX. *Bernhardum*  
*Magnum*, qui Neoburgi ad Rhenum 8. Julij A. 1639. in mediis victo-  
riis Victori mortis Christo lucem reddidit. Inde Brisacum delatus ad  
14. Sept. A. 1655. permansit, unde consensu Ludovici XIV. Galliæ Regis  
exportatus Vinariæ 12. Dec. inter avitos cineres reponebatur. XXXI.  
*Johannam*, filiam Johannis posthumam 3. Jul. A. 1609. terrenis rebus  
exemptam, & 17. Jul. sepultura decoratam. XXXII. *Vilhelmum*,  
Wilhelmi IV. ex Eleonora Dorothea filium, parentibus 1. Nov. A.  
1626. ereptum & 26. ej. humi conditum. XXXIII. *Johannem V Vil-*  
*hel-*



*helmum*, *Wilhelmi IV.*, filium 17. Maji a. 1639. animam exhalantem & 20. Junii terra tectum. **XXXIII.** *Fridericum*, *Wilhelmi* itidem filium, Rectorem *Academiae Salanae* Magnificentissimum, qui literis immortalis 16. Aug. a. 1656. & 19. Nov. monumento avito insertus. **XXXIV.** *Vilhelminam Eleonoram*, *Friderici* Sororem, de suorum complexu 1. Apr. 1653. avulsam. *Vinaria* in ipsius funus 20. Maji convenit. **XXXV.** *Johannem Ernestum*, *Ernesti Pii* & *Elisabethae Sophiae* filium 28. Nov. a. 1638. vitae personam deponentem, depositum 10. Dec. Templum aulicum, *Himmelsburg* / quod *Wilhelmi IV.* munificentia a fundamentis surrexit, asservat **XXXVI.** ipsum Fundatorem, veram *Johannis* effigiem, qui mortem 17. Maji a. 1662. adventantem tantum abest ut formidaverit, ut potius alacri ipsi obviam iverit vultu. Ad exequias cohonestandas subditi 24. Junii accesserunt. **XXXVII.** Uxorem *Eleonoram Dorotheam*, *Johannis Georgii*, *Principis Anhaltini*, filiam, quae diem 26. Dec. a. 1664. sensit decretorium marito 6. Febr. anni sequentis perpetua conjux data.

**WEISSENFELSÆ**, alias *Leucopetra* adjudicantur ossa I. *Adelheidis* & II. *Hedvigis*, *Monialium* in *Cœnobio* illius loci, filiarum *Heinrici Illustris* (*Diterici Pingvis* *Fabrit.* f. 586). III. *Helena* *Johanne*, *Marchione Brandenburgensi* ortæ, *Diterici Pingvis* maritæ. IV. *Hildegardis Bavarae*, *Friderici Tuttae* uxoris. Sita autem sunt in *Monasterio*, quod *Heinricus Illustris* fundavit. *Agneta*, *Heinrici Illustris* conjugem & *Fridericum Tuttam* hic habere sepulchrum *Joh. Vulpus* in descript. urbis *Weissenfelsæ* tradit, in quo lapsus videtur. *Cellæ* enim quiescunt. *Templum Aulicum*, quod excitavit *Augustus*, locum assignavit. I. *Anne Mariae*, priori *Augustissimi Augusti* uxori, filiae *Adolphi Friderici*, *Ducis Megapolitani* ex domo *Sverinensi*, quae in beatorum sedes 1. Dec. a. 1669. commigravit. II. Ejus filio *Augusto*, cujus fores mors a. 1675. pulsavit. III. Filiae, *Anne Mariae*, quae hominum catum 17. Febr. a. 1670. deseruisse visa, *Nepotibus* ex filio *Johanne Adolpho* & *Johanna Magdalena*, unica *Friderici Wilhelmi II.* filia IV. *Augusto Wilhelmo*. V. *Augusto Friderico*, qui cum vitae limen vix institerat, 16. Aug. *Halæ A.* 1676. ad superos abiit, inde *Leucopetram* 10. Sept. translatus, & VI. *Nepti Anonymæ* mense Nov. superioris anni infelici partu editæ.

**WITTENBERGA** agmen claudat, quæ in templo omnium  
San-



927 111 856

Sanctorum à Friderico Sapiente A. 1518. exstructo tria ostendit Principum monumenta. Primum est *Anna*, Rudolphi II, Electoris Saxoniae maritæ, Balthasare, Thuringiæ Landgravio progenitæ, quæ pectus morti feriendum 26. Julii A. 1395. objecit, De tumulo in Cœnobio Franciscanorum ab Helena, Alberti I. Conjugis A. 1238. condito, ipsi tunc prospiciebatur, quo in ad A. 1544. delituit; Hoc enim Annæ cineres ex æde Franciscanorum in templum arcis, Johannis Friderici Electoris auspiciis, transportati feruntur Sennerto in Athen. Witteb. p. 105. Alterum monumentum ad *Fridericum Sapientem*, & tertium ad *Johannem Electores*, Ernesti filios, spectat, Ille res sibi suas mundum habere jussit Lochaviæ, hodie Annæburgi 5. Maji A. 1525. & hic Schveinitzii 16. (alii 13. Aug.) Anno 1532. Quos amor vivos, eosdem & mortuos conjunxit. Friderico humanitatis officium 9. Maji præstitum & Johanni 19. [alii 16.] Aug.

Delineatis locis sepulchralibus Inclytæ Profapiae Witikindæ nihil amplius restare video, quam ut præsentis dissertatiunculæ titulo colorem aliquem inducam. *Memoriam diei emortualis* Patris Patriæ quondam indulgentissimi, in Schola nostra recolendam indixi, omissa, quæ fiat, ratione. Fiet autem à Lycei nostri Conrectore Dn. M. Christophoro Græfio, Col'ega atque Compatre conjunctissimo, meaque tenuitate, quippe quibus partes felicissimam *Beatissimi Principis memoriam* recolendi injunctæ, Ille vitam pientissimi ERNESTI pro sua, quæ in pangendis versibus pollet, dexteritate genere Carminis Heroico describet: à me verò laudes illius *collatione cum Atavo ERNESTO, Electore Saxonie*, instituta sermone libero decantabuntur. Omnia verborum lenocinia pro expetendo vestro, Musagetæ benévoli, accessu conquirerem, si causa nostra foret, aut ego de vestra facilitate & pietate gloriosissimo Principum præstanda dubitarem. Interim pagellas hæc orantis, si non exorantis, officium subire volui. Valete & hora secunda pomeridiana diei crastini, nostri, ut veterum formula utar, este Auditores!

P. P. Altenburgi VIII. KL. Apr. A. C.  
clō lōc LXXIX.



n-  
a-  
væ  
in  
g.  
oc  
o-  
to  
at,  
ur-  
32.  
u-  
g.  
eæ  
tu-  
ris  
in-  
to-  
n-  
mi  
gc-  
ne  
ro  
ro,  
e-  
da  
fi-  
a-

ULB Halle 3  
004 956 621



VD 17











chrales Seren.  
 censuero. Pa  
 in templis *Aul*  
 chra. Illud D.  
 asservat I. ipsu  
 diem, ut Histor  
 statuit, aut ipsa  
 Fratrem Wilhe  
 chionibus Saxo  
 bus mundanis  
 Neostadiense,  
 Geneal. Famil.  
 Ducum Sax. p.  
 Albinus & Fric  
 tione de loco se  
*Margaretham,*  
 sti, Archiducis  
 cavit 6. Febr. A  
 cisco in Fastis  
 capulo subjicie  
 fimus Fabritius  
 Orig. Sax. f. 79



agitavi,  
 e sic feren-  
 rimis tantum  
 ngramma ex-  
 as annuet, me-  
 nium optimè,  
 si locos sepul-  
 habeticam re-  
 teneat, quod  
 ncipum sepul-  
 atum in choro  
 te Palmarum  
 Angie c. 161.  
 xtincam. II.  
 Misnia Mar-  
 ex tempestati-  
 Chronicon  
 use in Chron.  
 us in Geneal.  
 ngius, Petrus  
 ut in disserta-  
 dicavi. III.  
 & filiam Erne-  
 minica Invo-  
 ii, qui Fran-  
 bus humeros  
 qvin doctis-  
 natam I. VII.  
 f. 22. asserat  
 IV. 70.

